



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

94. An qui obtinuit dispensationem ad contrahendum cum affine, vel consanguinea, sed ea minimè sit usus? postea petens aliam dispensationem cum aliqua alia consanguinea, vel affine teneatur in hac

...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

propter eundem finem, & effectum: & tunc necessaria est explicatio prioris ad validitatem posterioris. Exemplum primi esse potest: si Diaconus dispensatione nubendi obtinuit, & postea velit aliam dispensationem cum consanguinea impetrare; in quo casu nulla est necessitas mentionem faciendi de priori dispensatione. Exemplum secundi est. Obtinuit quis dispensationem non solvendi decimas, quas debebat ratione vineæ, vt eandem obtineat ratione fundi, debet prioris dispensationis mentionem facere. Addunt aliqui, nisi causa, quam dispensandus affert ad impetrandam posteriorem dispensationem, sit per se sufficiens ad talem dispensationem faciendam.

3. Notandum est tamen obiter hic ex supradictis cum Sanchez lib. 8. disput. 22. num. 13. quod si quis obtineat vnam dispensationem cum vna cognata, & illa mortua secundam petat pro alia in eodem, vel diuerso gradu coniuncta, valida erit, secunda, licet obtineatur sine mentione primæ, quia sunt de rebus distinctis, & vna non habet connexionem cum alia, neque aggravat illam, aut difficiliorem reddit, & vnaqueque potest habere propriam causam sufficientem, non obstantia alia, & independentem ab illa, etiam si talis persona non fuerit vsa priori dispensatione quacumque ex causa, & petat secundam, non facta mentione prioris.

Sup. hoc in  
Ref. not. seq.

4. Sed quoad hoc vitium dissentit Pater Perez de matrim. disput. 46. sect. 3. num. 5. putat enim in hoc casu esse secundam dispensationem subreptivam, quia tunc secunda dispensatio coniungitur primæ, & ex vtraque simul resultat vna gratia exorbitans, quæ non cadit sub intentionem Pontificis; neque enim sine scientia & consensu Pontificis possunt illæ duæ dispensationes valide simul permanere, quia est indulgentia quædam nimis extraordinaria. Quare ad valorem secundæ, necessarium est exprimere priorem, quo illud incommodum vitetur. Vnde non est simile, quando prior dispensatio suum usum habuit per quem extincta est, nam tunc non coniunguntur dispensationes, sed quilibet est vnica pro suo tempore: esset autem simile, si absque vsu prior dispensatio fuisset extincta per mortem alterius partis, vel per aliud impedimentum perpetuum, nam tunc ex defectu obiecti evanesceret prima dispensatio, & ideo est impertinens eius memoria.

Quæ nunc  
hanc sequi-  
tur.

5. Sed ego in part. 1. tract. de legibus, resol. 40 opinioni Sanchez adhaerens, quam etiam tuetur Layman, & Bonacina. Non nego tamen sententiam Perez, & Suarez esse satis probabilem, quam nouissime tenet etiam Merolla tom. 2. disput. 4. cap. 6. num. 446.

#### RESOL. XCIV.

An qui obtinuit dispensationem ad contrahendum cum affine, vel consanguinea, sed ea minime sit usus: postea petens aliam dispensationem cum aliqua alia consanguinea, vel affine reueatur in hac secunda petenda mentionem prioris dispensationis facere?

Et an idem sit dicendum, licet Fœmina resiliat, nolens primo consanguineo nubere, ac impetrat posteriorem dispensationem ad nubendum alio, &c. Ex p. 1. tr. 10. Ref. 40.

Sup. hoc in  
Ref. præteri-  
ta à §. No-  
tandum est,  
vsque in fi-  
nem, sed le-

§. 1. **H**ic casus in praxi hoc anno mihi propositus fuit. Affirmatiuam sententiam docet Suarez de legib. lib. 6. cap. 23. num. 20. vbi sic asserit: [Confero in isto casu, posteriorem dispensatio-

nem esse subreptivam, & necessarium esse exprimere priorem dispensationem, vt vel Pontifex eius renunciationem acceperit, vel illam irritet, vel vtramque simul validam esse concedat: alioqui enim verisimum esse censo, sine scientia, & consensu Pontificis non posse illas duas dispensationes validas simul permanere; quia est indulgentia quædam nimis extraordinaria, & parum rationi contentanea; & longè verisimilius est, non fuisse Pontificem eam concessurum, si proponeretur.] Ita Suarez.

2. At ego contrariam sententiam probabilioram esse puto: & illam docet Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 8. disput. 22. num. 13. & post illum Layman in Theol. mor. lib. 1. tract. 4. cap. 32. num. 20. Gutierrez tract. de matrim. cap. 123. num. 20. vbi sic ait: [Dubitari forsitan posset de alia ampliatione eiusdem Authortis? nempe, vt idem sit dicendum, licet femina resiliat nolens priori consanguineo nubere, ac impetret posteriorem dispensationem ad nubendum aliis: credit enim, in vtroque casu mentionem prioris dispensationis necessariam non esse, eò quod sint super diuersis matrimoniis, & neutra habet connexionem cum altera. Et licet hæc ratio concludat in præcedentibus dictis: at in hoc posteriori de femina residente à prima dispensatione; nolente priori consanguineo nubere, ac impetante posteriorem dispensationem, non videtur sufficiens siquidem secunda dispensatio est noua gratia in derogationem prioris. Sed nihilominus adhuc credo, hanc ampliationem quoque esse veram ex eo, quod nihil interesse videatur quoad irritationem posterioris, quod femina hæc nubat illi consanguineo priori, vel huic secundo; iuxta mentem, & intentionem Papæ concedentis, de quo si ei fuisset facta mentio, cum non remoueret à concessione secundæ gratiæ, siquidem hæc non fuit subreptitia in causa finali, nec impulsua.] Ita Gutierrez. Ad argumentum verò Suarez respondetur, quod, licet vtraque dispensatio stare nequeat; tamen in vsu illarum datur optio: vel dic, quod per impetrationem posterioris dispensationis impetrans renunciauit priori in manu Pontificis, à quo posteriorem impetrauit; & ita ea amplius vti nequit, sed sola posteriori.

#### RESOL. XCV.

An siquis obtinuit dispensationem contrahendam cum consanguinea, & postea actu contrahat cum alia, dispensatio illa censetur renunciata, vel reuocata? Ex p. 8. tr. 3. Ref. 74.

§. 1. **R**espondet Gordon in sum. lib. 2. quest. 13. cap. 7. num. 1. quod quamuis in hoc rerum statu cesserit causa, non cessasse dispensationem datam, sed licitum esse ea vti. Ratio est, quia hac dispensatione soluitur vinculum legis, & nulla superioris reuocatio interuenit, vt nunc pono; sola autem causæ cessatio non est sufficiens reuocatio, tum quia gratia dispensationis iam completa est per legis reuocationem; tum quia non pendet in suo esse ab huiusmodi causa. Exemplum afferri solet de eo, qui cum dispensatum est ad Ordines ob paupertatem. Licet enim ante promotionem fiat ditior; tamen non cessat dispensatio. Neque admittendum est hanc dispensationem esse datam velut sub conditione, & in quantum extrahit causam. Hoc quidem verum est in his dispensationibus quæ inuolunt ex natura rei tractum successuum, vt loquuntur Doctores, v.g. cum quis dispensationem accipit, ne ieiunet in Quadragesima propter infirmitatem corporis. Res enim successuum

Sup. hoc in  
Ref. leg. 1.  
Ref. 74.